



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 22. S. Bernardi exordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

ctus, nisi ex simplici tela, nullo opere phrygio ornata. Stolas solum & Manipulos sericos seruarunt; at trabeas, Dalmaticas & Tunicas dimiserunt. Soli Calices cum suis fistulis, quæ in Communionem adhibebantur, ex argento erant deaurato, urceoli autem nec auro, nec argento decorati.

Sæcul. XII.
A. C. 1112.

§. XXII.

S. Bernardi Exordia.

Tandem, post complurium annorum preces & gemitus, Cisterciensibus concessit Deus, ut augetur eorum numerus, & quod tot lacrymis expetierant, suos in pio Instituto Successores viderent; una enim die eis triginta misit Novitios, Duce quodam nobilissimo juvene, cui nomen Bernardus. Is anno millesimo nonagesimo primo in Oppido Pontanensi, cujus Tescelinus, ipsius Parens, Dominus erat, lucem primo aspexit. Matrem habuit Aletham Bernardi, qui Territorium Montis Bariensis possidebat, filiam, utrumque parentem virtutibus clarum fortitus, scilicet Tescelinum, virum fortem, exploratæ in Principes suos fidei, Justitiæ tenacem, & acrem consilio, & Aletham matrem, viro suo subditam, rei domesticæ & operibus charitatis intentam. Septies omnino Aletha Tescelino prolem genuerat, sex filios & filiam

*Guil. I. vit.
Bern.*

Sæcul. XII. filiam unam, quos mater recens natos
 A.C. 1112. suis manibus Deo obtulit, suo lacte nu-
 trivit, & dum sub ejus potestate fuerunt,
 cibis delicatis assuescere prohibuit. Eos
 ad vitam monasticam exercitare videba-
 tur, quam etiam omnes postea amplexi
 sunt.

Bernardum Aletha tertio partu edi-
 dit, & priusquam nasceretur, gravida
 mater per somnum visa sibi est, canem
 album & latrantem in utero gestare. Il-
 la hoc omine territa virum pium consu-
 luit, qui sollicitæ matri id responsi dedit:
*Noli turbari; filium paries, fidelem Do-
 mus Domini custodem, contra hostes Fidei
 Praeconem præstantissimum, cujus dicenti
 vis & suavitas infirmas mortalium ani-
 mas sanabit.* Quæ verba solatium af-
 flictae affuderunt. Postquam natus est,
 piissima Matrona hunc filium non modo
 sicut alios Deo obtulit, sed totum Numi-
 nis servitio destinavit, & quamprimum
 per teneram ætatem licuit, literas disce-
 re iussit. Primis elementis imbutus est
 Bernardus Castilione ad Sequanam, Præ-
 ceptoribus Clericis sæcularibus, in quo-
 rum locum posteriore tempore Congre-
 gationem Canonicorum Regularium in-
 troduxit. Cum excellens a natura in-
 genium accepisset, brevi supra ætatem
 proficiens, ludi scholastici socios longo
 post se intervallo reliquit. Jamque in
 illis

illis exordiis solitudinem amabat, multum cogitabat, pauca loquebatur. Simplicitas, lenitas, & singularis modestia adolescentem commendabant. Deum orabat, ut juventutem suam ab omni labe immunem conservaret, & scientiis humanis indulgebat, ut earum adminiculo facilius ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam perveniret.

Cum adhuc infantem aliquando vehementissimus capitis dolor affligeret, & lecto affixum detineret, quædam mulier advocata carminibus puerum sanaturam se dicebat, quod ubi Bernardus advertit, magno clamore & indignatione repulsa femina, incolumis surrexit. Vix paulo plus quam quatuordecim annos numerabat, cum ei mors matrem eripuit, quæ sanctam vitam pari fine clausit. Exinde Bernardus sui ipsius arbiter esse cœpit. Et quia omnibus corporis dotibus erat ornatus, ingenium a natura eximium acceperat, & eloquentiæ vim invincibilem, maximæ spei juvenem cuncti admirabantur. In publicum prodeunti ardebant omnia, & quæcunque viam aggrederetur, nihil tam alte positum erat, ad quod his auxiliis instructus eniti non posse videretur. Juvenem turba amicorum obsidebat, qui iisdem, quibus ipsi laborabant, vitiis innocentem corrumpere satagebant; verum sincerus pudicitia

Sæcul. XII.

A.C. 1112.

c. 5.

c. 6. 7.

Bernardus
adolescens.

Sæcul. XII. A.C. 1112. citiæ amor omnes elusit dolos. Cum quadam die oculos curiose nimis in speciem cultæ mulieris fixisset, tantus deinde verecundum Bernardum subiit pudor, ut in lacum glacie constrictum, proxime positum, insilierit, & colo tenus immersus, donec frigus in omnes medullas penetrasset, duraverit. Ob egregiam formam bis a mulieribus tam vehementer sollicitatus, ut pæne supra fidem esset, artissimas insidias a lubrica adolescentia superari potuisse, victor evasit.

In tot periculis constituto, cum serio pensaret, qua ratione perfidum mundum relinqueret, nihil tutius visum, quam ad novum Monasterium Cisterciense confugere; sed ejus fratres & amici, quod res erat, suspicati, cum scientiarum profanarum studio capere, mundoque alligare omnibus viribus conati sunt, parumque abfuit, quin se exquisita calliditate Bernardus falli pateretur; attamen ipsam earæ matris memoria ad pristinum consilium revocavit. Eam præsentem conspicere sibi videbatur & exprobrantem, non in hunc finem a se tanta cura fuisse educatum, ut vanis hujus sæculi scientiis totus occuparetur. Tandem quadam die inter lacrymas in Ecclesia orans, in proposito confirmatus est, & exinde ad alios quoque in suam sententiam pertrahendos animum adjecit. Primo fratres suos

suos vincere aggressus est, excepto so- Sæcul. XII.
lo natu minimo, quem, unicum patris A.C. 1112.
solatium, seni non eripiendum esse exi-
stimabat. Tum etiam ad propinquos
amicosque, ubicunque aliqua victoriæ
spes affulgebat, conversus est.

§. XXIII.

S. Bernardus socios colligit.

Sanctus Bernardus neminem prius ad
amorem vitæ monasticæ sua facundia
impulit, quam propinquum suum Gau-
dericum, Tullonii in Territorio Augusto-
dunensi Dominum, potentem, & specta-
tæ in bello fortitudinis virum; tum Bar-
tholomæum fratrem suum, nascendi or-
dine quintum, necdum ob aetatem eque-
stri gladio accinctum. Hi duo, nulla-
tenus repugnantes, Bernardo manus de-
derunt. Difficilioris negotii fuisset An-
dream, Bernardo juniorem, & nuper Or-
dinis equestris armis donatum, ad con-
versionem permovere, nisi subito osten-
to pavidus exclamare coactus fuisset:
*Video matrem meam! fratri suadenti ce-
do.* Guido primogenitus, uxorem ha-
bens, vir magnæ auctoritatis, & plus
quam ceteri sæculi rebus implicitus, pri-
mum dubius hæsit, postea vero, re ma-
ture pensata, dixit, monachum se futu-
rum esse, si uxor consentiret, quod no-
bilis & juvenis matronæ, filiasque par-
vulas,